

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 60. (*Neovidensis* 1805. Nro. 57.)

---

*Ex Campis Elysiis*  
O r a t i o P o l i t i c a  
*De prudenti tui domesticae Oeconomia.*

---

Elysium -- Meum. -- Die Martis 30. Julii 1805. (Neov. 16. Julii.)

---

C a r m e n :

*Beatus ille, qui procul negotiis. —*

*Horat.*

Dilectissimi amicorum! Eo jam devenimus, ut reipsa solatium nobis quærendum sit tantum, in applicatione ad glebam, hoc est in agris, campis, hortis, & pratis, in vaccis, & bobus, atque foveo, in quo bubulam, pernam, legumina maxima, vulgo fabas sillas, solanum tuberosum, & nonnunquam assam carnem pro usu paramus. Victorum fato ita exponimur, ut nobis idem sit illi, vel huic parere; hodierni enim Angeli amplius non descendunt de Cælo, ut nobis Martium panem, aut Manna, veluti olim moris erat, apponant. Tempora mutata sunt, & experientia alia nobis instillavit desideria.

O Amici! Politica est Dea inquietissima; quam fortunatus, qui eam nec de nomine novit, qui in hoc gibboso globo terraqueo palmum terræ possidet, in quo possit plantare solanum tuberosum. Prosternantur licet magni, & potentes; victoriam navalem reportet hic, aut ille; cursus permutationis numariæ crescat, vel decrescat, ager in quo solanum tuberosum provenit, in quo siligo, & triticum maturitatem assequuntur, est ejus proprietas, per quam etiamsi hostis pertranseat, conculcat tantum unius anni messem, fundus manet semper. Quapropter colo ego rus, insero siliginem, & triticum parum sollicitus, in cujus nam altereantium Maguorum venturus sim potestatem, hoc unum mente agito: Quam fortunatus, qui Politicam ne a limine quidem salutavit. Ita loquitur felix agricola,

Quid autem ad hæc mutabili ingenio præditus indagator naturæ? Illum Ephemeridum Scriptor (Verfündiger) in hunc modum inducit loquentem.

Nos mundum hunc aspeçabilem, hoc habitationis nostræ domicilium cernimus ex utroque fine, ferme usque ad meditullium, nivibus, & glacie obsitum, veri nominis elysium pro vulpibus, ursis, lupis, bubulis, alcibus, & his similibus hominibus; — circa medium vero æstus sunt immodici perinde, ac in fornace vitraria. Pauci illi terrarum tractus, in quibus frugi vir posset sedem fi-



gere, sæpe ita convelluntur effusa grandine, procella, peste, & terræ motu, ut nos quidem obsequentissimi subditi, amatam naturam vix, ac ne vix quidem imitari possemus, quamvis data opera mera Religionis, & successionis bella gereremus; — Præterea omne fluidum in immenso Oceano in unum cumulum collectum, sic etiam sitientia deserta arenosa; in nonnullis quidem locis omnia florent, & splendidissime luxuriant, in toto tamen paupertas, inopia, & fames regnat. Atque hoc formosa dicitur natura!

Mirabile, quomodo miseri Adami posteritum cum sua matre tellure conflidentur; ista hic multum, ibi procreat parum, atque suos patitur manes! Tanta præsto est copia seminum, & fructuum, ut iis non tantum quatuor, vel quinque nostri mundi partes possent conseri, sed etiam milleni, & plures ejusmodi terrarum tractus, uti est Europa, Asia, &c. & quidem in infinita prope modum tempora, verum in plerorumque hujus sublunaris habitationis inquilinorum indige ciborum brevibus, sed certis inscriptum legitur verbis, ora, & labora!

Omnes nos, angoribus pleni, consistimus in Theatro politico, avide expectantes pacem. Hoc beneficium speramus ex Russia adventurum; ut fama fert, Russicus pacis procurator Novosiltzoff propositiones pacis deferet Parisios. Verum sequens relatio vi-

detur his spebus caliginem offundere : In Sessione Curia inferioris 25. Junii habita iterum in deliberationem sumta est Legatio Regis Angliæ. Ærarii publici Præsides Pitius petiit resolvi 3,500,000 libr. Sterl. quibus, uti jam prius commemoravimus, possent impensæ ad formandam armorum societatem necessariæ superari. Foxius contra peroravit: Amicitia, quæ Borussia inter, ac Galliam intercedit prorsus non sinit sperare, ut illa Magnæ Britanniaæ adhæreat; Societas Austriaca magis est timenda, quam optanda; et quamvis præsentè tractatu id agatur, ut Austria permoveatur ad inchoandas rursus hostilitates, Russia autem ut ita, quemadmodum ante aliquot annos, armata manu congregiatur, tunc ejus partium erit, pro bono Angliæ, & pro bono Europæ huic bello se opponere.

De hoc Anglico articulo Parisinæ Ephemerides hanc faciunt animadversionem: Ex his dictis noscitur Politicus, qui scit commoda Europæ in calculum vocare, qui ponderat vires diversarum nationum, & longe abest ab illo sterili, & furioso homine, quem affectus excæcant, qui non videt amplius, quæ prius intime perspexerat, qui simulat se nescire, quæ optime intelligit, qui armat totam nationem, quod confidat in coalitione, quæ repugnat, metuit excensionem, cujus successus esto primo anno fuerit incertus, modo certissimus est. Fœdus inter Angliam, Russiam, & Austriam multo veniret sanguis

ne, & tamen feliciora non reduceret temporaria, quam præteritæ conjunctiones. Non est ne risu dignum Anglos de extraneis gentibus ita audire loquentes, ut si omnes eorum voluntati subjectæ essent? omnia sibi polliceri ex auxilio continentis, ubi nulla existit gens, quam non habuissent despiciatui? denique ut pacem conficiant, peregrino uti pacis procuratore? quod postremum omnino comicum est, veluti si quis ad maturandam insignis alicujus dramatici operis versionem, v. g. Iphigeniæ curaret illam primum in Russicum, deinde vero in Anglicum idioma transferendam. Patius non credit hanc methodum esse similem illi, qua pacem vult sanciri. Intendit tamen coalitionem, sed quam procedet nunquam. Fortius illi prædixit: post decursum duorum annorum pejore adhuc loco erunt res Anglorum, si spectemus in dies crescentem felicitatem, ac potentiam imperii Gallici.

Ex hoc articulo publicarum ephemeridum, quæ gallici gubernii sensa palam faciunt, nulla læta spes affulget missioni russici pacis procuratori. Alter autem articulus in amato folio contentus de pace ista habet: *Erlanga 7. Julii.* Præterito die Jovis (4. Julii.) noster Monarcha ex hac vicinia discessit, postquam uno mense diutius in eadem fuisset commoratus. Quamquam hoc iter sine ratione susceptum, ejusque prorogatio solummodo titulo remissionis animi, quam supra modum savavia montium juga comparate ad tristem

Marchiam pepererunt, facta fuisse videatur, illi ipsi tamen. qui alias nolunt acuti haberi politici, observarunt, sub hac quieta superficie graves motus politicos latuisse. Russicus tabellarius quærebat Byruthi Alopœum, quem tandem reperit Casellæ. Quemadmodum Luchesini (cujus itineris Mediolano Furtum usque minuta ipsa computata sunt) ita etiam Generalis Zastrov Petropoli summo cum desiderio expectabatur; huic erat cursor obviam missus Berolinum, ut eum ad thermas Alexandrinas invitaret, verum ille absentia Regis in rem suam utens, Regiomonto Posnamiam discessit, unde intra quatuor dies redux lætissimos apportavit nuncios. Alexander Imperator post maturam deliberationem, in qua sæpe numero de opposito sermo erat, ultimo tandem declaravit propositum in his rerum adjunctis neutras bellantium sequendi partes. Quam rem Berolinenses rerum novarum scriptores hac singulari ratione expriment: *Sub incude est, ut secundum principia armatæ neutralitatis in mari, erigatur etiam armata neutralitas in continente, ad quam jam duæ gentes accesserunt.* Si perpendamus accuratationem, quam in hoc genere censura Berolinensium politicarum ephemeridum observat, huic narrationi diplomatica fere certitudo tribuenda est. — Quamvis Rex principio sui invitationem Egram recusaverit, tardius tamen deinde his ibidem erat incognito, & humana agendi ratione, quæ alienationis, qua nonnulli peregrinorum ac-

conscia suæ dignitatis, omnem externum respuit splendorem, cunctorum ibi existentium amorem sibi conciliavit. In thermis Alexandrinis videtur saltatio solennis in hunc finem fuisse instituta, ut minimum apud partem militæ Austriacæ vetus aversatio erga omne, quod Borussicum est, exstingvatur. Ad festum hunc diem evocati sunt Præsidarii Egreenses, omnesque vires intense, ut hic dies illis jucundus æque, ac memoratu dignus reddatur. Omni amore dignissima Regina provocavit ordine singulos ad saltum, Rex autem summa eos excepit benignitate, qui diluculo divulsi sunt cum inexplicabili gaudio de tanta, quam experti erant, benevolentia. Profecto Rex hac die oblitus erat se esse Monarcham. Paucis post diebus iterum venit Egram; coram quo præsidarii militares produxere evolutiones, his ille dono dedit 200 aureos duplicatos *Fridrichs dor* dictos, præterea Generali Blank, & tribuno aureas pyxides. Fertur propositio, quam quidam Elector Germaniæ, Regi Borussiae intime junctus, alteri Electori fecerat, ut imminente bello nova ineatur unio inter Electores ad propugnandam neutralitatem, cum Aula Borolinensi esse communicata, sed ab eadem rejecta, quod sit manifeste superflua, cum Borussia centram efficiat hujus systematis, sunt, qui volunt se jam in thermis Alexandrinis observasse quosdam effectus ejus cepti sunt. Sed etiam non desunt variæ rerum explanationes. Juga montium circa bal-

neum Alexandrinum exhibent magnificentum prospectum, ingentem Saxorum seriem, & naturales ruinas in abundantia; hæc quidam ex præsentibus hospitibus curiosius perlustrans, in hunc situm, ait, igens vis pecuniæ fuerit profusa, nam in C. multo minoris molia plurimos jam exhaustit sumtus.

(Legantur nova ex campis Elysiis ante 4. circiter hebdomadas missa, inuenietur in illis armata neutralitas prius, quam in ephemeridibus Berolinensibus.)

*In Typographia hac Beluayana recenter Typis excusa sunt:*

Sanctissimi Domini nostri Pii D. P. Pape VII. Allocutio habita in Consistorio secreto Feria IV. die XXVI. Junii. Romæ MDCCCV. In charta Velin. 1. fl. 20. xr. In Postali scriptoria 30. xr. In ordinaria. 15. xr. NB. Jam compacta.

Falusi Mihály, okos Gyermekek nevelés' példája, a' köznép hasznára, mellyben rövideden előadatik, miképpen kell a' Gyermekeket születések napjától fogva, mind testi, mind erköltsi tulajdonságaikra nézve hasznosan és okosan nevelni. Pozsonyban 1805. 8-vo 48. xr.

Gazdagsági oktatás arról, hogy miképpen kell és lehet a' Német és Spanyol Lóherét Magyar országban legjobb móddal és leg nagyobb haszonnal természetni, és mind a' kétőnek a' magvát bőséggel szaporítani. Pozsonyban 1805. 8-vo 10. xr.